

CAPVT I.

PROP. I. §. I.

Fiant ex solidâ quâdam materiâ, Orichalco puta, ferro, vel etiam ligno, duo crura, certam latitudinem & spissitudinem habentia, quæ connectantur ad formam Circini, sicut alias Circini proportionum solent construi, sed longitudine 6. 5. vel ad minimum 4. ped. in quorum inferiori parte affigatur uni limbus ejusdem materiæ, ita, ut altero pede mobili, qui regulam fiducia representabit, per laminam æneam, sub quâ limbus tenetur, singulæ graduum divisiones resecando, justè discerni queant: Limbus autem, distantia suâ à centro, sextam Circuli partem adæquabit, latitudo erit pro lubitu, nempè trium vel quatuor digitorum, aut circiter, spissitudo tanta, quanta longitudini convenientissima; cavendum tamen, ne vel nimio pondere limbi Instrumentum oneretur, vel modicâ levitate à decenti situ limbus dimoveatur, & sic inconstans, adeoq; inutile Organum reddatur. Spissitudo concava limbi sit angustissimis striis sive fissuris in continuum referta, pro usu, infrâ patefaciendo. Huic mobili cruri inseratur cochlea cum matrice, lamellæ superimpositâ, pro sustentando & constringendo limbo, ut ad quamvis aperturam quæsitum punctum certius, si res exigat, exhibere possit: Limbus præterea more solito in suos gradus & minuta quina, per lineolas, singulas è centro ductas, dividatur.

PROP. 2. §. 2.

Comparetur ex Orichalco vel Chalybe, axiculus cylindræus, longitudine duum vel trium digitorum, crassitie verò tanta, quanta latitudini, vel spaciolo unius gradus limbi in extremitate concavâ, quatuor vicibus, (subintellige, base cylindri secundum longitudinem extensâ.) quàm exactissimè correspondeat; in hoc enim omnis requiritur præcisio, & inventiuncule fundamentum, imò anima totius Organi latitat. Circa tertiam ferè partem longitudinariam axicule, relinquatur spaciolum quadrangulare, pro indice justæ longitudinis, latitudinis, levitatis & æquilibrii deferendo: infrâ spaciolum quadratum axicule, incidantur circumcirca secundum longitudinem striæ angustissimè coherentes; quo factò, axicula duabus suis extremitatibus duplici trabecule perforatæ ita infigatur, ut ad quemlibet contactum, etiam lenissimum, axicula in gyrum liberrimè sese agere sinat, trabecule porrò, veluti duo crura longiuscula, pro aptitate, nec non sustentaculo plani alicujus orbicularis, de quo mox infrâ, affabrè efformari possunt, sed ita, ut inferior habeat duo brachiola